Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Morbio 22 (108)

In nomine domini amen. Anno nativitatis eiusdem Millesimoquadringentesimosexagesimo secundo. Indictione undecima
die Mercurii primo mensis Septembris. pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pii divina providentia
pape secundi anno quinto. vacante ecclesia seu capella ecclesie sanctorum Cosme et Damiani site in Pasquario illorum
de Mandello Mediolani per obitum quondam presbiteri Jacobi de Orsamgo olim dicte ecclesie seu capelle ultimi et immediati beneficialis
seu capellani que iuris patronatus illorum de Mandello existit. nobilis et prudens vir dominus Otto pizininus de Mandello
filius quondam domini Antonii civis Mediolani patronus et advocatus dicte ecclesie seu capelle suo nomine proprio et nomine
et vice omnium aliorum patronorum et advocatorum dicte ecclesie seu capelle. huic electioni seu nominationi adherere volentium
attendens et considerabiliter considerans quod diuturna ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum vacatio solet ecclesiis et beneficiis
ipsis incommoda in spiritualibus et temporalibus afferre detrimenta. Et pro hoc volens quantum sibi possibile est indemnitati dicte
ecclesie seu capelle providere. Considerans quod de presenti nullus de parentella de Mandello religiosus existit qui aptus
sit ad obtinendum huiusmodi ecclesiam seu capellam. et propterea dirigens occulos mentis sue in personam discreti et religiosi
domini Baptiste de Briosco presbiteri Mediolani viri utique providi et discreti. pro cuius prudentiam et circumspectionem sperat dictam
ecclesiam seu capellam incommoda dante domino susceptam posse incrementa. Eundem dominum Baptistam ad honorem omnipotentis dei
ac beate Virginis Marie necnon beatorum Cosme et Damiani sub quorum vocabulis et reverentia et honore dicta ecclesia seu
capella specialiter fundata existit et a christifidelibus veneratur totiusque curie celestis triumphantis per presentes eligit seu nominavit
ac eligit seu nominat in prebendandum beneficialem seu capellanum dicte ecclesie seu capelle vacantis ut prefertur. Et ulterius ut
huiusmodi electionis seu nominationis negotium suum plenum et debitum sortiatur effectum voluntarie sponte et ex certa scientia
et aliis omnibus modo iure via causa et forma quibus melius potuit et potest non revocando propterea aliquos alios procuratores
per eum hactenus constitutos sed eos potius confirmando fecit constituit et solemniter ordinavit et facit constituit et solemniter
ordinat. discretos viros dominos Brandam de Dugnano Michaelem de Sicchis et Aluysium de Surigombis absentes tamquam
presentes et quemlibet eorum insolidum ita quod occupantis potior conditio non existat et quod quicquid unus eorum inceperit alter
et alii mediare prosequi valeant et finire. Specialiter ad ipsius domini constituentis nomine et pro eo presentandum intimandum
et notificandum electionem seu nominationem huiusmodi prefato domino Baptiste de Briosco pro eum electo seu nominato ut prefertur
et ad petendum et obtinendum ab eodem domino Baptista quatenus electioni seu nominationi huiusmodi de se facte ut prefertur consentire
velit suumque consensum prestare pariter et assensum. Et deinde habito consensu et assensu huiusmodi. ad presentandum electionem
seu nominationem huiusmodi ac ipsam personam electam seu nominatam ut prefertur ac eius consensum et assensum ac omnia alia
iura iura instrumenta et munimenta electionem seu nominationem ipsam tangentia. Reverendo in Christo patri et domino domino Archiepiscopo
Mediolani et cuilibet eius vicario generali seu officiali ad hoc potestatem habenti. Et ad petendum et obtinendum ab eisdem seu
altero eorum electionem seu nominationem huiusmodi tamquam canonicam et de persona idonea celebratam admitti et confirmari dictumque electum
seu nominatum et presentandum in beneficialem seu capellanum dicte ecclesie seu capelle institui et confirmari ceteraque alia omnia et
singula fieri et expediri in predictis et circa predicta et quolibet predictorum necessaria et opportuna. Et item ad omnes et
singulas causas questiones lites et controversias quas et que dictus constituens premissorum occasione habet et habiturus est cum quibuslibet
persona et personis cum collegio capitulo et universitate et coram quocumque iudice tam ecclesiastico quam seculari. dans et concedens dictis
suis constituens dictis procuratoribus suis et cuilibet eorum insolidum plenum liberum et generale mandatum cum plena libera et generali facultate
agendi et defendendi libellum et libellos dandi et recipiendi litem et lites contestandi ponendi credendi confitendi et negandi
iudices et notarios quoslibet eligendi. Testes instrumenta scripturas et iura et quascumque probationes alias faciendi et producendi
et ab aliis producta contradicendi et reprobandi. Sacramentum calumnie vitande et veritatis dicende et cuiuslibet alterius generis et
maneriei iuramentum in eius constituentis animam faciendi et prestandi et aliis et aliis referendi et deferendi. Sententiam et sententias
tam diffinitivas quam interloquutorias audiendi et ab eis et quolibet alio gravamine appellandi appellationemque et appellationes
quaslibet prosequendi. Et generaliter omnia alia et singula faciendi gerendi et exercendi que in premissis et circa premissa et quolibet
premissorum necessaria fuerint utilia et opportuna et que ipsemet constituens facere posset si personaliter interesset etiam si
talia forent que mandatum exigerent magis speciale. promittens prefatus constituens sub obligatione sui et omnium suorum
bonorum mobilium et immobilium presentium et futurorum pignori michi notario infrascripto persone publice stipulanti et recipienti
nomine et vice cuiuslibet persone cuius interest vel intererit aut interesse poterit quolibet in futurum se perpetuo ratum gratum
et firmum habere et tenere quicquid per dictos procuratores suos et quemlibet eorum insolidum actum dictum gestum et factum
aut procuratum fuerit in premissis et circa premissa et quolibet premissorum. Et volens relevare dictos procuratores suos et quemlibet
eorum insolidum ab omni onere satisdationis cavit et promisit obligando se iudicio sisti et iudicato solvendo et
inde pro omnia extitit fideiussor ipsemet constituens obligando se. Et de predictis rogatum fuit per me notarium
infrascriptum publicum debere confici instrumentum. Actum in apotecha spetiarie domini Antonii de Lauerio site in porta Horientali
in parochia sancti Georgii ad puteum album Mediolani. presentibus ibidem domino Petro de Mencloys filio quondam domini Antonii notario
Petro de Via de [illegible] filio quondam domini Martini et Francisco de Vindegardis filio domini Ambrosii. omnibus civibus Mediolani
testibus idoneis ad premissa vocatis specialiter et rogatis.



Ego Johannes de Aplano filius quondam domini Francisci porte Romane parochie sancti Johannis ad quatuor facies Mediolani publicus
imperiali auctoritate et civitatis Mediolani notarius premissis omnibus et singulis presens interfui et inde
rogatus presens instrumentum tradidi scripsi et subscripsi signumque meum apposui consuetum in fidem et
testimonium omnium premissorum.

Mazzo B n° 8.

1461. 1 Settembre

Elezione fatta per Ottone de Mandelli della persona di Battista de Brioschi in Rettore di S. Damiano vacante per la morte di Giaccomo Ossenigo

notaro Giovanni Appiano

Exam. Diotti

Electio d. don Baptiste

Morbio 22 (108)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1856498905-16/fragment/page=0002